

dagh accipitur, ac recte hoc Danielis loco pro disciplina vsurpatur.

¶ Et de vino unde bibebat ipse. In Hebræo est: Et de vino potuum luorum. In plurali dixit, quod variis potuum generibus vrantur reges & magnates.

¶ Pueris autem his dedit Deus scientiā. Ex Hebræo potest hæc oratio ita verti: Et pueris his quatuor dedit Deus cognitionem. Græca editio habet: Quatuor pueris: & dedit eis Deus intelligentiam. Pro Deo est in Hebræo **אלהים** Elohim, quod

Gene. 1. nomen Deum significat, vt Genesis 1. In principio creauit Deus celum & terram.

Exo. 21. Aliquando iudices: vt Exodi 21. Offerat eum dominus diis. Loquitur de seruo iudicibus offerendo. Pro quo paraphrasis Chaldaica habet: Applicabit eum dominus eius coram iudicibus. Et capite 22.

Exo. 22. Diis non detrahes. Vbi paraphrasis Chaldaica pro diis iudices etiam habet. Aliquando vertitur per numerum singularem, vt hoc Danielis loco: aliquando per

Psal. 49. pluralem, vt Psal. 49. Deus dæorum dominus locutus est. Pro quo in Hebræo est **אלהים ייחוד דבר**. El Elohim Iehouah Diber. Quæ verba ex Hebræo ita posunt rectissime verti: Deus Deus Deus locutus est. Voluit illis diuinus vates sanctissimæ Trinitatis mysterium innuere. Ad personarum distinctionem ostendendam ter Deum nominauit, ad naturæ autem vnitatem significandam singulari vsus est, non plurali dicens: locutus est: non locuti sunt. Capite vigesimo Exodi proditum est dixisse Hebræos Mosi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur. Pro Deo est in Hebræo Elohim: pro quo ibi paraphrasis Chaldaica habet verbum. Verbum autem Christus est: de quo ait Ioannes:

Exo. 20. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Etiam hodie Iudæi nolunt Christum audire, ne moriantur: & infelices homines ob id in peccato moriuntur, quia Christum Dei filium audire nolunt. Videre hominum cæcitatem: voluit Mosem audire, non Deum. Ac nec Christum intelligunt, nec

Ioan. 1. Mosem. Moses enim ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israelis in faciem eius. Et vt verbis vtar diuini Pauli in priore ad Corinthios: obtrusi sunt sensus eorum. Vique in hodiernam enim diem ipsum velamen inlectione veteris testamenti manet non reuelatum. Cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum. Accipitur aliquando Elohim pro Angelis, vt Psal. 70.

Adorate eum omnes Angeli eius. Et Psal. 137. In conspectu angelorum psallā tibi. Quibus in locis pro Angelis est in Hebræo Elohim. Similiter Psal. 8. Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Quod de Christo quatenus homo est, diuus Paulus in epistola ad Hebræos interpretatur. Nam esse angelorum naturam præstantiorem humanā, nemo est, qui dubitet. Est quidem homo admirabilis: cum enim Deus cetera animalia abiectisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad coeli fastigium quasi ad domicilij cōspectum exaltauit. At si ad celestium illarum mentium, quas spiritus vocamus, & angelos, naturam respexerimus, intelligemus eam esse excellentiorem humanā, quamuis humana sit aliis cæterorum animantium illustrior & præstantior.

¶ Dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro & sapientia. Quidam vertunt: In omni libro, & sapientiam. Vt sit sensus, Deum dedisse Danieli, eiusque sociis scientiam & disciplinam & sapientiam in omni literaturā. At in Græco est: **ἐν παντι γρηγορητικῇ καὶ σοφίᾳ.** Hoc est, in omni Grammatica & sapientia. Pro libro est in Hebræo: **סֵפֶר** Sopher, à verbo Saphar, quod significat numerare: vnde siphra dicitur notula numerorum, quæ cum nihil valeat, efficit, vt aliæ plus valeant. Significat etiam narrare, recensere, nuntiare. Vnde deducitur Sopher, quod nomen librum significat, quod in eo multa narrentur. Verbo hoc Saphar pro nuntiari videtur psalmographus, cum ait: Vitam meam nuntiavi tibi. Pro quo poteris vertere: narraui tibi. Pro, vitam meam, est in Hebraico, **חַיִּי** Nodhi. Vox

Exo. 14.

2. Cor. 3

Psal. 70.

Pl. 137.

Psal. 8.

Heb. 2:

Psal. 55.